

h. 7. 32.

V2
926.

IVSTA
 SERENISSIMO ET POTENTISSIMO
 PRINCIPI AC DOMINO
 D O M I N O
FRIDERICO
AVGVSTO

REGI POLONIARVM, MAGNO DVCI LIT-
 THVANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE, MASOVIAE, SAMO-
 GITIAE, KYOVIAE, VOLHYNIAE, PODOLIAE, POD-
 LACHIAE, LIVONIAE, SCHMOLENSCIAE, SEVERIAE
 ET SCHERNIKOVIAE, DVCI SAXONIAE, JVLIAE,
 CLIVIAE ATQVE MONTIVM, VT ET ANGRIAE AC
 WESTPHALIAE, SACR. ROM. IMPERII ARCHIMAR-
 SCHALLO ET ELECTORI, LANDGRAVIO THV-
 RINGIAE, MARCHIONI MISNIAE, NEC NON VTRIVS-
 QVE LVSATIAE, BVRGGRAVIO MAGDEBVRGI, COMI-
 TI PRINCIPALI DIGNITATE HENNEBERGAE, COMI-
 TI MARCAE, RAVENSBERGAE ET BARBY, DY-
 NASTAE IN RAVENSTEIN,

RELIQVA

DOMINO QVONDAM VERE
CLEMENTISSIMO

WARSOVIAE DIE I FEBRVARII DEFVNCTO
 EX PIETATE

PERACTA

DIE XIV APRILIS MDCC XXXIII

AB

ACADEMIA LIPSIENSI.

LIPSIAE

LITERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMIL



IVSTA

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO
PRINCIPIS AC DOMINO

DOMINO

FRIDERICO
AVGVSTO

REGI POLONIAE ET MAGNODVCI LIT.
TRAVNIAE, RYSSIAE, PRUSSIAE, MAGNATAE SEN.
GILIAE, LITHVANIAE, VOLTINIAE, PODOLIAE, POD.
LACIAE, LITHVONIAE, SICHONIAE, SEVERIAE
ET ALIARVM REGNORVM DVCI SAXONIAE, JULIAE
• CIVITATE ET ARCHIEPISCOPALIBVS ET ANGLIAE
WESTPHALIAE, SACRAE ROMANAE IMPERII ARCHIEP.
SCOTIAE ET ALIBVS, LITVONIAE, POLONIAE
LINEAE MANCHONIAE, SICHONIAE, SEVERIAE
OBLIVATIAE, BAVARIAE, MAGNODVCI COMIT.
II PRINCIPALIS BISHOPVS HANNOVERIAE COMIT.
II MARCAE, SACHSIAE ET BAVARIAE, DV.
HANNOVERIAE, SACHSIAE

DOMINO GONDAM VERE
CLEMENTISSIMO

WAROVIAE DIE I FEVRII ANNO DOMINI
EX DIE TATE

DIE XIV APRILIS MDCCXXIII

ACADEMIA LIPSIVENSIS

LITTEAE AD GONDAM LIPSIVENSIS





Atra tegit coelum nubes, nox vndique terras
 Inuoluit, tetro consistunt omnia vultu,
 Ac stupet, ac haeret, cuicumque est luminis vsus:
 Quicquid inest coelo, terrae, quod vescitur aura,
 Nil non triste putat, Titan dum cogit habenas,
 Igniferos et equos retinet, lugensque refrenat:
 Ipse Deus Genito tristis, quem perdidit aetas,
 Indignumque mori rapiunt et tristia fata;
 Hinc negat officium coelo, terraque refugit;
 Ereptum queritur natum, indignatur amarus;
 Quem celebres Musae repetunt, repetitque venustas,
 Et Charites tenerae, puro et quod gaudet amore:
 Ipsa dolet Pallas docti, rectique reperitrix,
 Sedula dispiciens, hominum quid postulet vsus,
 Quidque Diis placeat; magnum, verum, atque disertum;
 Artibus ingenuis laesis, lacrymatur acerbè,
 Moeftaque singultus ex imo pectore ducit.
 Mars ringit, trepidatque simul, suspirat et ardet;
 Iacturam deflet nati, fatisque minatur
 Atrox atque miser; Coelo nihil esse quietum

Permittit dubius. Terra timor omnia replet,
Et moeror, trepidatque miser ciuis, bonus, orbus,
Et dominum, atque patrem plorat, totusque tremore
Concussus titubat, vacuus solatia quaerens,
Ingeminans vocem querulus, sed brachia fronti
Opponit, stringitque genas, oculosque reficcat,
Consilii ignarus, timidus; tremor occupat artus.
Sed quae causa Deum questus? quo nomine fletus
Mortales edunt tantos? quid et omnia terret?
Et coelo, et terra? miseris quid lumen ademit?
Quid cuncti metuunt coelo? quid gaudia pellit?
Tellus quo quatitur, nihil ut non triste paretur?
Occidit AVGVSTVS, terra, coeloque petitus,
Praesidium populi verum, decus atque Deorum:
AVGVSTO maius nihil est, vis omnis in vno
Et virtus Regum, nihil est illustrius vnquam
Hoc vno natum; dignus, quem lugeat orbis,
Conciliumque Deum; quem non modo nomine norunt,
Sed fictum manibus, loquitur res ipsa, dedere.
Martis opus, pectus latum, firmique lacerti,
Atque armi et lumbi duri, femur atque gradiui;
Mulciber hinc hastam cudit virtutibus aptam,
Quaeque decet tantum, qui claret martius heros
Virtute inuictus; conspectus terreat hostem:
Fulgor inest oculis, donum sunt lumina Phoebi
Ille dedit lucem Regi, qua stringere mentes,
Et radiis valeat, captos retinere tuentes,
Atque docere simul, sit quanta in pectore virtus:
Praestat consilio Pallas, quae praesidet omni,

Quod

Quod sapit ingenium: Regi dedit hocce Minerua;
Consilium promptum, maturum semper in omni,
Quisquis erit, casu; soluit sapientia nodos:
Ipsa Venus frontem finxit, qua gratia vultus
Elucet, Charites labiis, oculisque relucet.
Sic vni nunquam concessa viro bona soli
Omnia forte putes; quae sunt dispersa per omnes
Hic collecta tenet; sic quae diuisa beatos
Efficiunt, congesta manent, augusta refulgent:
Et genus atque decus formae, sic robur, honestant,
Et decorant mores; iustus, verusque bonusque
Laudatur, pacis custos, iurisque sacerdos,
Et stator pietatis, amans dulcisue quietis;
Strenuus est armis; dignus, si forte petitus,
Atque prior laesus, vindex; nisi cesserit hostis,
Inuictus, bello cuius si iura vacillant,
Feruidus assertor, nemoque impune laceffit.
Sed viguisse diu nil prodest nomina Martis,
Nulla salus constans armis, nisi pace redempta;
Sanguine quae nata est uirtus, nutrita cruore,
Aetatemque tulit raptu, si laude adoleuit
Et ferri et clypei, senio non perstat honesto:
Artis opus vere est primum, belloque decorum;
Ingenio constatque decus, quod iure paratum
Armorum, atque manus, si vis est arte subacta:
Artis amans heros maior, quem facta celebrant
Clara viri, simul ingenii si gloria constat
Clarior AVGVSTO nemo est, sed, Caesar utroque,
Eminet, et vincit, si quis contendere frustra

B

Non

Non dubitat, miser atque audax si militat impar;
Therfites didicit, quid sit se obuertere Vlyssi,
Exutus fero et sapuit temerarius, arte
Et virtute minor, quantum contendere Phoebō.
Militiae AVGVSTI si facta, artisque reuoluam,
Quid mihi pollicear timidus? non carmine multus
Nec facundus? opem praebent non Marſue Venusue,
Numina culta aliis, nostris diuina negatur
Vis verbis, sic forte nihil, nihil inde venustum
Speratur dictis, sunt aspera et anxia nostra,
Ingenium Phoebusque negat, negat ipsa Minerua
Virtutem timido, quae rebus commoda verba
Inueniat, rebusque aptet non dicta minora:
Quid faciam tristis? repetam tua, Sisyphē, faxa
Desperans operis? cumulum si specto meorum
Quae dicenda mihi veniunt, et nomine digna
AVGVSTI; molem specto, molemque reuoluo,
Terreor, et dubito, tantum conuoluere rerum
In cumulos numerum vastos, vel carmen in vnum
Digerere, atque nihil dignum dimittere dictu:
Principium non vnde petam, telamque retexam
Sat teneo, quoque inde ruam, non vnde reuortar
Expedio; dum dispicio, premor vndique mole,
Et uaria, pariterque graui, pariterque verenda;
Et, si quid tacuisse velim, quodcunque relinquam,
Maius erit dicto, neque enim nisi magna geruntur:
Sic non ipse mihi consto, timidusque renitor
Ipse mihi, tendens quid dicere; sed modo contra
Contendo, filuisse prius, quam nomina rebus

Non

Non reperisse suis, potius pressisse minora
Iudico; sic vereor nutans, trepidoque vacillans,
Et titubant artus fracti, nec munera reddunt:
Quicquid ago, vincit pietas, pellitque timorem,
Et voluisse iuuat magnum, nec viribus aequum:
Est natura Deum patiens, nec spernit inane,
Obfert quod pietas, non farraque tosta recusat;
Agnus et est ara dignus, si et postulat ordo
Taurorum nitidumque femur, ditescque hecatombas:
Sic animum reuoco, nec magnis terreor ardens,
AVGVSTI lucem subiens, pietasque iuuabit
Audacem; coluisse decet magnumque pusillos.
AVGVSTVM coelo repetam, deducere famam
Cogito sideribus, magnum, terraeque petitem:
Dignior AVGVSTVS coelo, mortalia spernens,
Et superans factis claris, coelestibus aptus;
Sideribus natum credas coeloque remissum;
Fortuna sic maior honos sublimior omni,
Quod genitum terra est, hominum quod sanguine fufum,
Indignum coelo: vera haec diuina propago.
A puero, et teneris longe praefulfit in annis
Semine mortali natis, superauit honore
Iam senio doctos: AVGVSTO nulla iuuentus
Nota, probata fuit, lucet maturior aetas
In puero, virtusque virum, quos extulit alte
Gloria, quae studio multo, et discrimine parta:
Ingenium vultus prodit, moresque seniles
Ostendit iuuenis promptus, maturus, et aptus
Consiliis, alios docuit quae tardior aetas,

Atque vſus ferus: non eſt mutabilis aectus,
Qui iuuenes iactare ſolet; ſunt omnia certa;
Digna viro AVGVSTI pueri, ſunt dignaque magnó;
Nil breue molitur factis, morituraque ſpernit
Iam iuuenis tener, atque grauis, carituraque laude
Negligit, et damnat, tractatque perennia fato;
Et puer et miles natus, factuſque videtur:
Conſilium ſenibusque ferens, ſimul ardua curans,
Et reddens factis, dici quae digna futuris:
Par nulli, maior cunctis, qui vinceret vnus
Omnes, ſe ſuperet; coelum miratur et orbis.
Et fic conſpicuus, ſimul et iuueniſque, ſenexque,
Et virtute ſua notus, venerabilis ibat,
Spondebatque ducem puerilis et igneus ardor,
In teneris validum, quo conſtat gloria ciuis,
Speſque ſaluſque alitur, dirum quo terreat hoſtem.
Optatus Princeps populo, quacunq; rediret,
Aſſurgunt patres iuueni, ceditque iuuentus;
Virtus quem decorat, cuncti dignantur honore.
Speſ patriae, qui vera fuit, ſpeſ prima ſalutis
Quoque ſuis cultus nemo magis, atque rogatus;
Votaque laeta facit populus, dum gaudet, et optat.
Non vni ſed natus erat, ſolique videri
Hic patriae dignus princeps, quem tenderet orbis
Non nouiſſe procul fama, nomenque vereri,
Sed tenuiſſe ſibi, cupiunt propiuſque tueri,
Quando per ora virum volitat, volitatque per auras,
Ignotis petitur, cuncti mirantur, et optant
Hoſpitiuſque coluiſſe ſuo, tenuiſſe colendum.

Sic

Sic qui dignus erat, vastum qui volueret orbem
Imperio nutuque suo, vix ipse tenetur
Limitibus tanti, quod singula continet, vnus.
Alcides quantum magnae telluris obiuit,
Tantum Saxonicus iuuenis vidisse putandus.
Non patriae fines claudunt, nisi vasta petentem,
Amplior est virtus vulgo, maiorque palaestra.
Sic notusque suis, laudatus et omnibus exit,
Quaerit opus virtute sua, qua praestat vbique,
Nunquam non magnum voluens, nunquamque recedens
Ardua non vincens; hominum si fallere vires
Tu reputabis opus, non est robustior heros,
Virtutisque modus, qualem nec carmina fingunt.
Sic venit, vidit, nil non magnumque peregit;
Miranturque vnum gentes, cupidaeque saluant,
Atque stupent omnes tanto virtutis honore.
Affiduus qui rem curat, qui naue pererrat
Fallax, atque fecat, pelagus, tentatque remotos
Indos, Belga, suos, mercator feruidus, audax,
Artificumque decus verum, solertia ditem
Quem fecit; conditque penu, quo pasceret orbem
Indorum fructu; nec fuluo ditior auro,
Gens nota est terris; suscepit et illa benigne
Hospitio AVGVSTVM iuuenem, quem gratia morum
Et vultus coluisse iubet, digneque vereri:
Virtutem comitatur honos, mirantur et ornant,
Hospitio laeti tanto, cupiuntque tenere;
Quem nouisse iuuat, simul et seruasse iuuabit
Exemplum morum, quo non praestantius vllum:

C

Tristius

Tristius hinc dicuntque vale, mittuntque renifi
Riuali ceduntque decus, virtutis honorem
Mirati, hospitii memores, testesque futuri.
Vltra sic heros pergit, quem gloria ducet
Atque sequetur honos, quafuis contendet in oras:
Francigenae excipiunt, germano sanguine creti,
Et laeti ciuem repetunt, comesque salutant,
Et pariter gaudent reliquis, penetralia pandunt:
Gens opibus clara est, praestat virtute parentum,
Maiorumque decus testantur proxima facta;
Cultior ingenio multis, affabilis omni,
Moribus apta suis; quiuis decet, et status, et res;
Hospitis ingenio mota est, qui vinceret omnes
Moribus, arte minor nulli, qui miles in armis
Strenuus, et victor cursu, domitorque caballi,
Et iaculo ludens, hasta qui victor abiret:
Gens mirata virum, capta et virtutis amore.
Sed properat, finem terrae meditatus, et ausu
Herculeo satagit monstris indicere bellum,
Quae pugnare decus, pugno strauisse, veruque:
Praestitit hoc heros noster, viditque columnas
Hic Libyci patris, solem, quo mergitur ynda,
Conspexit, nigrae penetrans ad littora Thules.
Sic iuit rediturus eo, cumulatus honore,
Cunctis, quos vidit, populis miracula praebens,
Regibus exemplum, qualisque aliquando futurus
Iam prodens iuuenis; portendunt omnia regnum.
Qui patriae debetur honos, debetur et vsus
Virtutis tantae geniti, qui ductus amore,

Sic

Sic repetit natale solum dulcedine motus,
 Et pietate sui ciuis, comitatus euntem,
 Qui fuerat votis, reditum speransque futurum,
 Et faustum, et laetum, exceptit plausuque reuorsum:
 Reddita spesque suis, patriae, fons ipse salutis
 Inde fluit; meditans heros connubia sancta,
 Heroas spondet veros, qui nomine digni,
 Et virtute, patris; fociam legisse decorum
 Sanguine de Brenni, Brennorum facta notata
 Sunt tabulis priscis; nihil hinc nisi magna resurgunt.
 Exemplo docuit, magno magnumque renasci,
 Fortibus et fortes, reges sed regibus edi.
 Hoc magnus dici meruit, multumque mereri,
 Tantis quo genuit natum virtutibus aequum,
 Spem patriae, decus et verum, stat gloria gentis
 Hic vnus, solus, possit qui condere regna,
 Vnus qui meruit gigni, de sanguine Regis:
 Sit felix, seros populi regnentur in annos!
 Omnibus AVGVSTVS notus, dilectus amicis,
 Regibus exemplo, mactus virtute coruscans,
 Robore non minor est animus, sed praestat vtroque
 Pluribus ex summis, communi forte beatis,
 Quaesiuit, reperit, veros, dignosque triumphos;
 Barbarus hinc memor est, quantus sit Saxonis ardor;
 Caesaribus notus, cultusque sodalis, amicus,
 Affinis petitur; magnis nisi magna probantur.
 Sed nunc regna patent, petitur sed regia virtus,
 Gens bello magna est, sed libertatis auitae
 Sauromata assertor, primo fert ille coronam;

Estque prócus multus, sed non est dignior alter
 AVGVSTO visus, gentis sapientia nota est.
 Eligit AVGVSTVM, regni qui ducat habenas:
 AVGVSTVS regnat; factis nunc verba minora;
 Hic filuissè iuuat, premit et reuerentia vocem:
 Regibus hic maior cunctis, sed regia virtus
 Eminent AVGVSTO maior, qui maxuma curat,
 Atque patrat, totum dignus qui temperet orbem.
 Inuida fortuna est summis, luditque superba
 Et fallax, vultu tristis simul, atque renidens:
 Rex virtute sua maior, si sensit vtramque,
 Aduersa constat pectus, cauet atque secunda,
 Idem qui semper, doctus confundere fraudes:
 Sic regnat, metuitque nihil, miracula praebet,
 Par nullus tanto, fortuna et fraudibus impar.
 Tristem quis vidit regem? tristemue remissum
 De folio regis nostri, quo gratia regnat?
 Laeferit atque prior quisquam, pudeatque peracti,
 Dat veniam timido, tangit dum poena superbum.
 Sic egit, vixit, moritur, moriturus vt heros;
 Sed plangunt gentes, reges, ciues, bonus omnis:
 Occidit AVGVSTVS, maius nil conditur vna.



V2
926

h. 7, 32.

IVSTA
 SERENISSIMO ET POTENTISSIMO
 PRINCIPI AC DOMINO
 DOMINO
FRIDERICO
AVGVSTO

REGI POLONIARVM, MAGNO DVCI LIT-
 THVANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE, MASOVIAE, SAMO-
 GITIAE, KYOVIAE, VOLHYNIAE, PODOLIAE, POD-
 LAE, LIVONIAE, SCHMOLENSCIAE, SEVERIAE
 HERNIKOVIAE, DVCI SAXONIAE, JVLIAE,
 E ATQVE MONTIVM, VT ET ANGRIAE AC
 HALIAE, SACR. ROM. IMPERII ARCHIMAR-
 LO ET ELECTORI, LANDGRAVIO THV-
 AE, MARCHIONI MISNIAE, NEC NON VTRIVS-
 VSATIAE, BVRGGRAVIO MAGDEBVRGI, COMI-
 NCIPALI DIGNITATE HENNEBERGAE, COMI-
 TARCAE, RAVENSBERGAE ET BARBY, DY-
 NASTAE IN RAVENSTEIN,

RELIQVA

MINO QVONDAM VERE
CLEMENTISSIMO

ARSOVIAE DIE I FEBRVARII DEFVNCTO
 EX PIETATE

PERACTA

DIE XIV APRILIS M DCC XXXIII

AB

ACADEMIA LIPSIENSI.

LIPSIAE

LITERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMIL

